

cautibus illifa solveretur. Tercio mense postquam Venetiis abductæ erant, Turbulas descendere: ubi triremibus diligenter inspectis, constitit earum alteram, priusquam resarta esset, haud tuto in aquas dejectum iri. Reliqua classis ad Sarcæ ostium instructa est, ac triplici palorum serie in hemicycli speciem utrinque, ut tutior esset, circumsepta. Castellum præterea ad exitum fluminis Venetus imposuit, præsidioque firmavit, veritus hostium incursus, qui triremem unam cum galeonibus & ganzariolis aliquot ad Rivoltellam habere dicebantur. Creditum est, eam rem magis ad alendam Brixianorum spem Patribus intentatam, quam quod sperarent naves ipsas aliquo modo usui futuras, quum interim circa lacum & ubique tantum hostium objectum esset, ut non modo non ulla Brixiam, invitis illis, penetrandi facultas esset, sed cura etiam ingens eorum animos incessisset, Veronam Vincentiamque futura æstate retinendi.

Imminebat omnino ingens periculum, dum Venetis rebus aperte inclinantibus fortuna benignius arrisit. Fuerat Philippus magna parte hyemis illius Sforciam ludificatus, quod Blancam filiam ex fœdere, ut diximus, pactam: neque dabat petenti, neque daturum se negabat; nunc puellæ valitudinem, nunc hyemis inclementiam causando, rem de industria in longum trahere; hæc fraus tum primum cognita est. Sforcia nuptiis comparandis intentus, nihil interim minus suspicari, quam secum dolo malo agi: verum ubi illum alia atque alia subjicientem incommoda, in puella abneganda perstare vidit, novitque eam ludificationem esse, Troilum (cui omnia credere solebat) Mediolanum ad explorandum Philippi & sponsæ animum misit; unde ille quoniam nihil præter verba reportasset, iratus Sforcia Veneto (quod antea non fecerat) aurem præbere cœpit. Accessit ad id alia recens suspicio. Ferunt Picininum, dum magnopere suos ad Brixiam oppugnandam hortaretur, ac quidam interim diceret: quid esset, quod tam evidenti se suosque objiceret periculo, quum urbem ipsam ac cætera non sibi, sed Sforciae, qui futu-

*Sforcia a
Philippo de-
lusus, cum
Venetis &
Florentinis
fœdus init.*